

Ad

EXAMEN

DIE V ET VI OCTOBR. MDCCCXXVI

IN

GYMNASIO REGIO LYCCENSI

PUBLICE INSTITUENDUM

invitat

J. S. Rosenheyn,

Gymnasii Director, philosophiae Doctor, Societatum linguae Germanicae, quae Berolini et Regiomonti florent, sodalis.

Praemissa est commentatio, quam de authentia secundae orationis Catilinariae

scripsit

H. G. J. Cludius,

Doctor philos., praeceptor primarum in Gymnasio Regio Lyccensi.

Gumbinnae,

Typis Chr. Guilielmi Meltzeri.





DE AUTHENTIA SECUNDAE ORATIONIS CATILINARIAE.

Si profiteor, me uni ex illis orationibus Ciceroniani corporis, quae maxime legentium studiis celebrantur et apud omnes in admiratione sunt, fidem hoc tempore atque auctoritatem derogare eamque summi oratoris nomine indignam judicare, intelligo fore ut multi me temere et arroganter facere existiment, quippe qui plus me videre postulem, quam tot magnos viros vel superiorum seculorum, vel hujus aetatis, qui secure in translaticia opinione de hac oratione acquieverint atque adeo summis eam laudibus extollendam esse censuerint. Etenim plerique res in disceptationem adductas non e suis cujusque momentis ac rationibus aestimare consueverunt, sed judicii sui causas extrinsecus aptas habere solent, ut, quae externa specie quadam probabilitatis se commendent et gravissimos videantur auctores habere, ea potissimum pro veris amplexentur ac defendant. Quamobrem admirabuntur, quid hic homo novi allaturus sit, cujus nomen inter eruditos vix usquam auditum sit, quum ne Wolfius quidem — at quantus vir! — sententiam suam de Marcelliana peraeque omnibus probaverit acerrimosque nactus sit adversarios; ne quid dicam de quattuor illis orationibus, quas idem Wolfius post Marklandum a Cicerone abjudicavit, de quibus nescio quomodo minus contentionis fuit, id quod tamen ita interpretari nolim, ut plures in horum virorum partes concessisse arbitrer. Nimirum putabunt me more adolescentulorum ac levium ingeniorum, ut scilicet nomen celebraretur meum, si novam et usque adhuc inauditam rem in medium protulissem, cupide argumentum eiusmodi circumspexisse et forte fortuna quaerenti oblatum temere arripuisse, ut si minus vera, at tamen speciosa dicerem. Verum *longe mea discrepat istis et vita et ratio.* Atque hoc quidem, ut spero, facile sum pro-

baturus aequis rerum existimatoribus, me non cupide et festinanter, aut inani ambitione commotum ad hanc quaestionem accessisse. Neque enim nuper demum mihi nata est haec sententia, quam defendo, sed ea se mihi jam ante duodeviginti ferme annos probavit et post illud tempus assidua lectione Ciceronis magis magisque confirmata est. Deinde si bene de litterarum studiis mereri videtur, qui spuria in hoc genere a genuinis distinguit, facile patior, ut hoc non meum inventum esse dicatur, imo, ut omnis laus primae inventionis integra ad alium, eumque magni nominis virum deferatur, ultro ipse postulo. Denique oratio illa, de qua quaerimus, (est autem Catilinaria secunda) tam mihi videtur stulta, inconstans, inepta atque insulsa esse, ut quicunque satis paratus venerit ad legendum, si modo animum bene intenderit ad id quod agitur, Ciceronis eam esse nullo modo credere possit. Tantum abest, ut ego singularis cujusdam ingenii aut exquisitae doctrinae esse arbitrer, quid de ea statuendum sit, perspicere, quamquam aliquanto majoris operae rem dilucide et ad persuadendum accommodate exponere. Neque igitur aliquid praecipui mihi arrogo praeter eos, quos maximi aestimo et quorum doctrinae me neutiquam comparo, quum nemo me melius sentire possit, quanto sim illis et ingenio et litteris et dicendi copia inferior. Quae omnia qui perpenderit, levitatis ac temeritatis aut inanis arrogantiae crimine me facile liberabit, ut opinor.

Si vero ita est, ut dixi, si secunda oratio Catilinaria, quae Ciceronis nomen in fronte gerit, tot et tantis est vitiis insignis, ut ea propemodum cuivis facile sit deprehendere et asinum sub pelle leonis latentem agnoscere, qui fieri potuit, ut eam homines docti per tot secula non modo patienter tolerarent, sed etiam cum ceteris tanquam pulchram et gravem laudibus efferent? Quo pacto credibile est, illos omnes falsa specie deceptos errasse et veritatem tam longo spatio annorum obscuratam jacuisse? Talia proclive est cuique statim in mentem venire, et fateor me his cogitationibus interdum esse commotum. Sed ne quis iis nimium tribuat, meminerit, non omnes omnia efficere posse et alia tempora aliis rebus judicandis magis esse opportuna. Nostra quidem aetate in

antiquarum litterarum studiis ars critica maxime viget, omnesque, qui in iis versantur, nihil prius sibi quaerendum putant, quam quid genuinum et integrum, quid spurium et interpolatum sit. Quae quum ita sint, tamen mirum videri non debet, hanc subtilitatem judicii ad Catilinarias orationes nondum esse adhibitam. Quotus enim quisque nostrorum hominum hodie Ciceronem diligentius legit? et ubi sunt, qui eum in amore ac deliciis habent? In Graecis, et maxime poetis, juniorum plurimi haerent neque ab iis divelli possunt, et si quando temporibus subsecivis ad Ciceronem se convertunt, tam subitaria opera non potest eam vim habere, ut personatum Ciceronem a vero distinguant. Quid, quod idem non ferme contingit nisi iis, qui satis instructi ab ingenio et doctrina, quum diuturno usu Ciceronis sui mores, animum et loquendi consuetudinem cognovere, scripta eius eo ordine, quo composita sunt, perlegere instituerunt? qua una re effici potest, ut, dum legunt, ipsis rebus agendis intresse videantur et quid ille qui dicit, quid ii qui audiunt, vel suspicentur, vel metuant, vel exspectent, vel sperent, vel cupiant, vel fugiant, quantum quidem in tanta temporum distantia concessum est, persentiscant. Atque hoc quodammodo et eos facere oportet, qui de quaestione a nobis instituta certum judicium ferre volent, nam nisi id fecerint, multa iis dubia videri necesse est, quae per se certissima sunt.

Quamquam mihi, ut verum fatear, non sic orta est prima suspicio de sublesta fide secundae orationis Catilinariae. Sed rem ordine narrabo. *F. A. Wolfius*, v. c., cujus ego memoriam quum ob disciplinam, qua cum multis usus sum, tum ob benevolentiam, quam mihi praeter alios praestitit, gratissimo animo recolo, anno, ni fallor, 1805, in acroasibus de litteratura Romana unam e quattuor Catilinariis orationibus suppositiciam videri dixit, eamque esse alteram e mediis duabus significavit. Aliquanto post quum Goettingae in has orationes forte incidissem, in priore illarum non pauca ita animum meum offenderunt, ut molesto dicendi genere percussus confidenter pronunciarem, hanc esse eam, quam Wolfius e Ciceronianis eximi vellet, idque cum amicis communicavi.

Mox ratio studiorum meorum ad alios me scriptores deduxit. Sed posteaquam munus praeceptoris in coenobio B. M. Virginis Magdeburgi suscepi, quum mihi mandatum esset, ut secundanis praecepta latine scribendi traderem et selectas orationes Ciceronis interpretarer, non putavi me his officiis plene satisfacere posse, nisi me maiore diligentia ad scriptores Latinos, quum alios, tum maxime Ciceronem applicassem. Sic factum est, ut maiorem partem librorum Ciceronianorum temporis ordine servato deinceps perlegerem, duce usus Fr. Fabricio in vita Ciceronis, quem librum utilissimum hi novi editores Ciceronis repetere potius debebant, quam aut nihil aut parum ex eo genere exhibere. Plurimum vero operae et laboris consumebam in iis orationibus, quae discipulis enarrandae erant. In quorum numero quum et Catilinariae essent, veteres suspiciones meae de secunda *ψευδεπιγράφῳ* magis vel auctae vel comprobatae sunt. Neque id clam habebam, sed in sermone cum familiaribus interdum eius rei mentionem iniiciebam, et ne in scholis quidem, ubi ad locos quosdam ventum esset, animi sensus occultare poteram, quamquam aetas discipulorum infirmior esse videbatur, quam ut quaestionis criticae onus sustineret. Sed quid facerem? Non poteram tamen palam probare, quae mihi vehementer displicerent aut ipsis adolescentulis putida, absurda, ridicula essent, neque committere volebam, ut in eloquentissimo homine molestae aut ineptae dictionis crimen haereret. Quam ob rem tale temperamentum adhibebam, ut breviter dicerem, quae mihi re ipsa admonente aut necessaria, aut certe utilia viderentur. Haec propterea commemoro, ut, si forte, ut fit, aliquid de nostra sive coniectura sive iudicio in vulgus emanaverit, id quo referendum sit, iam omnes habeant. *) Atque illo tempore hoc serio agebam, ut hanc causam quam diligentissime pos-

*) Etiam in epistolis semel et iterum huius rei mentio a me facta est, ut in episotla ad Joh. Müllerum, V. JU., brevi ante eius mortem ipsius hortatu scripta; item in alia, ad Loeflerum, V. S. R., Duc. Goth. olim Superint. Generalem, anno fere 1811 data. Quae si forte in aliorum quoque cognitionem pervenerunt, hi testari possunt, me iam tum in hac fuisse sententia. —

sem instructam eruditorum iudicio submitterem. Itaque illuc tum omnia studia mea conferebam atque ad hoc unum incumbebam, quum, ecce, mutata vitae ratio, quae me longe ab illis locis avocabat, novas curas et nova officia attulit, quae me non sinerent tam cito ad pristinum consilium reverti, praesertim in hac instrumenti litterarii inopia, qua hic loci laboramus. Aliquot vero annis post aliud nobis malum infestum fuit, gravissimorum incendiorum saevitia, quae quum omni rei familiari meae ea damna inferret, quae vix sensim sensimque resarciri possent, tum maiorem partem librorum meorum cum omnibus chartis absumpsit. Quo factum est, ut quaedam nunc minus copiose et accurate exsequi possim, quam olim licebat. Quamquam ipsi quaestioni nostrae vel sic videtur satisfactum esse, si nihil amplius postuletur, quam ut gravissimis vitiis detegendis liquido ostendatur, secundam orationem Catilinariam falso in Ciceronianis numerari. Id quod nunc puto effectum esse, nullo quidem praecipuo merito meo, quod res satis in promptu posita erat, posteaquam, semel suspicione a Wolfio iniecta, mentem ad id acuere coeperam. Mihi quidem tam firmiter haeret haec persuasio, nullis ut possit in posterum rationibus eripi et ut omnes, qui sunt idonei talium rerum iudices, idem sensuros esse confidam, si eam curam et attentionem animi adhibere voluerint, sine qua sane omnis iudicatio fallax est et lubrica. Sed hic error etiamnunc multorum animos occupat, quod de genuinis aut subditiciis libris facile iudicari posse putant, etiam si quis tamquam aliud agens ad legendum accesserit. Quapropter cuiusdam generis lectorum causa non alienum videtur hanc mihi veniam expetere, atque adeo quodam iure meo postulare, ut ne quis de meo iudicio iudicium suscipiat, nisi qui antea Catilinarias orationes integro et nullis opinionibus corrupto animo diligenter perlegerit, in eoque sensum suum lente explorarit et exploratum repetita lectione confirmarit. Quod qui fecerit, meam fortasse argumentandi rationem contemnere poterit, in summa quidem rerum vix dubito quin dissentire non possit, atque haud scio, an plerique re diligenter pensitata facilius Marcellianam orationem toleraturi sint, quam hanc secundam invectivam.

De re igitur ipsa, quae hic agitur, bonam spem habeo. Multo minus confidenter sperare audeo, fore ut ea, quae de singulis locis disputavi, assensum virorum doctorum colligant. Potest enim fieri, ut subinde erraverim et verba scriptoris iniuria reprehenderim; potest etiam fieri, ut in loco per se vituperando sensum meum perperam interpretatus sim, quandoquidem difficillimum est in hoc genere causas placendi aut non placendi indagare. Sed rogo eos qui haec legent, ut, si qua in parte minus firmam esse meam argumentationem intellexerint, id ne causae a nobis defensae noceat provideant, neve reum protinus omni culpa liberent, si quaedam crimina falso in eum collata esse iudicaverint. Non enim id nunc agitur, utrum unus et alter locus a me recte, an secus reprehensus sit; quamquam mihi quidem gratissimum erit vel severe corripi, dum meliora edocar; sed utrum Ciceronis orationem, an obscuri alicuius magistelli lucubrationem habeamus. Vere autem profiteri possum, maximae mihi curae fuisse, ut, dum alium ob vitia orationis reprehendo, ipse mentis labe ac turpi errore vacarem.

Quod ad formam et compositionem hujus disputatiunculae attinet, eam viam inii, quae et mihi facillima et lectoribus commodissima futura videretur. Nam singula peccata scriptoris ad sua genera revocare et ipsa argumenta generatim pertractare, ut aptissimum videbatur ad vim cuiusque generis ostendendam, ita erat magnae molestiae plenum, non solum mihi, quum singula undique conquirere cogerer, sed etiam lectoribus, quum verba scriptoris e sedibus suis erepta parum commode examinarentur. Simul in hac ratione et plura exscribenda, et tamen multa, quod ipsa per se considerata leviora essent, relinquenda erant. Quam ob rem praeoptavi seriem orationis in commentando persequi atque ipsis vestigiis auctoris insistere, ex quo lecturis nihil aliud incommodi oritur, nisi quod singula capita orationis ante ipsam lectionem recognoscenda sunt.

Nunc, quoniam de hoc genere quaestionum criticarum a Marklando et Wolfio satis disputatum est, finem praefandi facio, praesertim quum modus chartarum hujuscemodi scriptis concessus vix longiori prooemio locum relinquat.

Doctos autem et ingeniosos viros, quorum in manus haec forte inciderint, enixe rogo oroque, ut commentatiunculam inter maximos aetsivos calores conscriptam placide bonaque cum venia excipiant.

Cap. I. *Tandem aliquando cet.*] Sic incipit haec oratio ad Quirites, ac si orator iam antea de Catilinae consiliis ad populum verba fecerit. Quod ut fieri fortasse potuerit, tamen certe dubium est, et, ut dicam quod sentio, non admodum veri simile. Quid enim cum populo communicaret, aut ageret rebus etiam tum incertis atque ancipitibus? num consilia sua importune proderet et committeret, ut coniurati sibi cavere possent, aut populi odia concitaret in eos, qui nullo dum crimine palam convinci possent? Praeterea dignum est observatione, quanta copia rerum, quanta vis sententiarum et quanta gravitas verborum sit in secunda oratione de lege agraria, si cum hac comparetur. Atqui illa itidem in concione populi habita est, posteaquam Cicero de eadem re in senatu dixerat.

furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nesarie molientem.] *Furorem* et *audaciam* ex initio primae orationis huc relata vides. *Quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Quamquam id quidem non potest mirum videri, iterum eadem de Catilina dici, quae optime in hominem et furiosum et audacem convenirent. Sed vereor, ut Cicero haec tali modo coniungere potuerit. Quid est enim *furere audacia* nisi propter audaciam caeco impetu ferri et insanire? At potest aliquis audax esse, i. e. intrepidus et promptus ad mala facinora, et tamen non furere, nisi velis stoicorum more argutari et omnes malos insanos esse dicere. Potest item furere, qui non sit eximie audax. Ergo non haec una causa furoris, etsi maximum sane est scelere amentem ferri. In Catilina autem omnes causae furoris coniunctae fuerunt. — Video hunc locum quodammodo defendi posse; video et similem laudari e *Xenoph. Cyrop. I*, 4 μαινόμενον γιγνώσκων τῇ τόλμῃ, in quo tamen utrumque, et

ἡ μανία et ἡ τόλμη meliore sensu dicitur, nam Cyrus propemodum excusatur, quod insita fortitudine ad nimium audena udendum se abripi passus sit. Sed nescio quomodo haec verba *furentem audacia* mihi semper displicuerunt et si ex meo sensu de aliis coniecturam facere licet, et alii erunt, qui idem sentiant. Ciceronem quidem usquam alibi sic locutum esse confidenter negaverim, et hoc loco certe verba illa paulo sunt languidiora. — Sic statim in limine commentationis dissimulare nolui, quod facilius impugnari posse intelligerem, vel eam ob causam, ut virorum doctorum hac de re judicia experirer.

scelus anhelantem] Quum in communi loquentium usu talia versarentur, ut *spirare amorem*, *spirare iram*, *spirare sanguinem*, confer Graeca μένος πνεῖν Soph. El. 610. αἷμα φυσᾶν Ibid. v. 1385. φυσᾶν φρένας ibid. v. 1463.) hominis erat in umbra privatorum parietum declamitantis haec insolito modo exaggerare. Sic in rhetoricis ad Herennium IV, 55 haec verba leguntur: *At iste spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem*, quae scilicet idem, qui in exemplo posuit, in rebus agendis nunquam sic usurpasset. Nimirum istiusmodi loquela est putida atque inepta et habet κακοζηλίαν.

pestem patriae — molientem] Hoc videtur ductum esse ex or. p. Murena c. 3. *Catilinam exilium reipublicae intra moenia molientem.*

vel eiecimus, vel emisimus, vel cet.] *Vel* repetitum pro *sive* ut est minus usitatum, ita non caret auctoritate. Cic. p. Plancio cap. 10. *vel vi pulsum, vel ratione cedentem.* — Nunc dubium relinquit orator, eieceritne Catilinam, an emiserit, an ne id quidem, et liberam optionem dat audientibus, quod verbum adhibere malint. Mox graviter increpaturus est eos, qui Catilinam a se eiectum esse dixerint.

Abiit, excessit, evasit, erupit] Dura praedcio ilia, quae hoc concoquere possint. Me quidem hic locus primus advertit, ut declamatorem agnoscerem. Verumne Ciceronem tam languida, inconstantia, inepta proferre? Er ist fort, entwichen, entwischt, hinausgestürzt! Quocunque te vertas, non efficias, ut haec ullo modo tolerabilia videantur. Quid est enim aliud inani verborum

sono deludere aures audientium, nisi hoc est? Quod *abiit* Catilina, verum est; quod *excessit*, i. e. loco cessit sive urbe cessit (die Stadt geräumt hat) non minus verum est, quamquam inanis repetitio friget; *erupisse* eum, quasi ex praesidio, ut videlicet locum aliquem occuparet, ex quo bellum patriae inferret, vel germanus Cicero dixerit (v. pro Milone cap. 23 *Multi etiam Catilinam atque illa portente loquebantur: erumpit ect.*); sed si nunc orator exsultat gaudio, ut aiunt interpretes et ipse cap. 2 initio profitetur, vana est haec laetitia atque stulta, quod iste eruperit gaudere, quo uno verbo non potest signivicari, bene factum, quod Catilina hostem se esse prodiderit, ut iam palam oppugnari possit. Quod vero *evasisset* tanquam e custodia, ut qui iam undique constrictus esset et teneretur, id minime erat laetabile; imo vehementer dolendum, si consule invito effugisset. Atqui haec vis inest in verbo *evadere*, e periculo vel cum periculo exire contra voluntatem alterius. Sic *Muretus* ad h l.: *evasit, tanquam ex eo loco, in quo iam sine periculo versari nequiret.* Quae quum ita sint, nihil agit *F. G. Doeringius*, qui, dum evitare vult, ne haec sit otiosa congeries verborum, omnia haec e re venatica esse translata statuit. Nam etiamsi exemplis probari posset, quod ille coniicit, tamen orator in eadem culpa haereret, quod Catilinam e plagis suis elapsum esse laetaretur. Atque adeo novum vitium accederet orationi, si ex illius sententia fera eodem tempore et sicabiisse diceretur, antequam retia tenta essent, et e retibus vel clam se subduxisse, vel vi perrupisse. — Ceterum *Quintilianus* hunc locum bis laudat Institutionum libro IX cap. 3, semel ita ut Ciceroni adscribere videatur, iterum sine ulla auctoris nota nuda verba ponens. Prior commemoratio est huiusmodi: *Congregantur quoque verba idem significantia. Quae quum ita sint, Catilina, perge quo coepisti; egredere aliquando ex urbe; patent portae, proficiscere. Et in eundem alio libro: Abiit, excessit, erupit, evasit. Hoc Caecilio* πλεοναςμὸς *videtur, id est abundans supra necessitatem oratio.* Ergo iam tum fuerunt, qui verba a nobis vituperata reprehenderent, neque enim reprehensionem Caecilii ad ea, quae e prima Catilinaria allata sunt, pertinere ar-

bitror, ut in quibus vis oratoris mirifice emineat. Quod autem aliquid e nostra oratione a Quintiliano ut Ciceronianum allegatur, (si modo id fit, nam potest dubium videri), id quantum valere possit, satis docuerunt Marklandus et Wolfius.

Atque hunc quidem unum — vicimus] Sic loquitur, tamquam multa iam ea de re dixerit, nam conclusioni longi sermonis apta est talis formula loquendi, ut orationis tertiae cap. 6 *Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est.*

Non enim iam inter latera nostra sica illa versabitur] Ridicule hoc atque inepte enunciatum est, sive Ciceronis latus, sive civium latera intelligamus; quorum prius voluisse auctorem credo, quod sciret Catilinam vitae consulis insidiatum esse. Civibus quidem illis, qui in concione aderant, sica eius non erat reformidanda. Sed cave hoc a Cicerone scriptum esse credas, qui sciebat *Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere.* p. Mur. 26.

In proxime sequentibus manca est oratio, si quidem *pertimescemus* absolute dici non satis usitatum est, neque etiam vere dicere licebat, omnes iam porro metuendi causas esse omnino sublatas. Atque hoc ne noster quidem voluit. v. cap. 3 *Qui si hic permanent, mementote — hos esse pertimescendos.* Idcirco Lambinus, quo pollebat sensu Ciceroniani sermonis, pronomen *eam* contra omnes libros adiiciebat, non ille librariorum errorem, sed scribendi vitium corrigens. Verum idem aliud relinquere cogebatur, quod aeque facilem medelam non admitteret. Subiunctis enim in verbis, etsi hoc lenius reprehendo, tamen notandum videtur, non increscere orationem, ut par erat, sed gradationis, quam hodie appellant, ordinem esse inversum. Nam quod ultimo loco ponitur, intra domesticos parietes ab insidiis tutum esse, id minus est quam foris, in aedibus publicis, in locis liberis atque apertis periculo vacare.

Loco ille motus est — — coniecimus] Notabilis est in hac parte defectus coniunctionum, quibus mutua relatio propositionum indicetur, nam,

ut nunc est, parum commode procedit oratio neque quorsum quidque referendum sit satis apparet. Nimirum scriptor operose quaerebat, quibus modis eandem sententiam variaret et verborum duntaxat copia amplificaret. Propterea quaecunque poterat undique collecta in unum congerebat. Quodsi *enim* in superioribus ante *iam inter latera nostra* Mureto auctore deleveris, vitium dissolutionis etiam augebitur. At leges criticae non sinunt particulam illam sane incommodam loco suo moveri.

Bellum iustum Muretus, dum explicat *quod vere ac proprie belli nomine censeri possit*, et alii enarratores, dum tacentes assentiuntur, sic acceperunt, ut iustum proelium, iustus exercitus, iusta acies dicitur (nos ein ordentliches Treffen, nicht ein Scharmützel); et recte, ut opinor, nisi quod adiectivum hoc significatu priorem locum occupare solet. — Extrema de Catilina in latrocinium coniecto transferri potuerunt e tertiae orationis cap. 7.

Quod vero cet.] Haec periodus non conservat iustam mensuram cum paecedentibus comparata. Maiorem vim haberent numeri, si pro quinque membris in protasi duo essent et haec verbis *egressus est* terminaretur. Nunc odiosus est praeterea languor quidam et molesta repetitio in verbis *quod ei ferrum de manibus extorsimus*, in quibus sententia retro recurrit. Ceterum similia leguntur p. Flacco c. 39 *qui P. Lentulo ferrum et flammam de manibus extorsimus* et p. Plancio c. 41 *quorum impium ferrum ignesque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat;* unde ignes mutuari debebat noster verborum artifex, quandoquidem, quod urbs etiam tum stabat, non eius profecto meritum erat, qui ferrum sceleratis hominibus eripuerat, sed eius, qui faces incendiorum exstinxerat.

Cap. 2. *Sed quam multos fuisse putatis cet.*] Magna cum vi et gravitate Cicero haec eadem persequitur prima oratione in Catilinam, omnibus illa virtutibus oratoriis insigni, cap. 12. Hic omnia sunt deteriora. Imprimis languore peccat *non putarent*, quod multo est debilius, quam *non crederent*. Et *credere* hic apte ac proprie dicitur, nam est fidem habere dictis. In altero

verbo h. l. idem quodammodo inesse debet; sed *non puto* proprie est, quod nostri homines sic enunciant Ich denke wol nicht; *non putaram* Das dachte ich nicht; *ita putabam* das dachte ich wohl, ad Att. II, 13. — Atque in prima oratione Cicero duo hominum genera commemorat, alterum imperitorum, qui quid agatur non videant, alterum improborum, qui quum videant dissimulent; hic bis idem dicitur, ut auctor tantummodo copiam verborum sequutus esse videatur, parum tamen ille concinne, nam *propter stultitiam* nihil habet in priore membro, quod sibi respondeat, ac vereor, ut alia causa non credendi excogitari possit praeter stultitiam, sive inscientiam atque imperitiam. In reliqua eiusdem enunciationis parte similiter conformata itidem improbitas communis causa est et defendendi et favendi; ita ut hic quoque copia dicendi quaesita et periodus operose structa videatur. Sed erunt fortasse, qui facile patiantur, si numerorum causa unum *quam multos* tollatur, praesertim quum *etiam* in tertio inciso additum sit, aut qui incrementum sententiae in hac collocatione desiderent. Maius quidem certe est dicenti non credere, quam sponte sua non putare, et voce defendere, quam animo favere.

non modo invidiae meae, sed etiam vitae periculo sustulissem] *Invidiae meae* si dativus est commodi (nam alia ratione dativus hic stare nequit), et sententia laborat et salebrosa est oratio; sin est genitivus ex mente auctoris, quod vix potest dubium videri, vitiose hoc ad *vitae* ut diversum relatum est. Fama quidem periculum subit, ut vita; item mortis et invidiae periculum inter se respondent, si cui sic loqui libet. Vel usitate dicere licebat *cum invidia mea, cum vitae periculo*.

Alia leviter attingo, ut duriorem structuram sequentium verborum, propter collocationem ablativi absoluti *ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata si* etc.; ut phrasin *aperte videre*, quam haud scio an nullus unquam bonus scriptor usurparit; ut coniunctivum *exierit*, pro quo sane indicativum malis quamquam id quidem nihil ad propositum nostrum. Hoc quaero, num veri simile sit, Ciceronem postridie, quam Catilina profugisset, etiam ante tempus

habendae concionis exploratum habuisse, quos ille viros secum eduxisset, aut qui illum iam profectum subsecuti essent. Noster tam longo tempore post de Tongilio et eiusmodi quisquitiis rumusculos audire potuit, quales Cicero in tanto rerum discrimine, si forte ad aures eius pervenissent, neque admodum curasset, et certe non tali modo coram populo commemorasset. Haec enim dignitatem non habent, si sic pronuncientur, et simul consilio dicentis adversantur. Quid enim Ciceroni hoc tempore propositum erat et cur in Rostra ascenderat? Ut populum suum faceret, opinor, dum, quae consilia adversus rempublicam inita essent, perspicue doceret quantumque in periculum quum universae civitatis salus, tum singulorum civium vel tenuissimorum tranquillitas, dignitas, felicitas adducta esset, non sine amplificatione exponeret; ut si qui in fraudem illecti et alienati essent, eos reipublicae reconciliaret; denique ut omnium animos confirmaret, erigeret, ad bene sperandum et confidendum cohortaretur. Quid vero hic facit? Profecto non ea dicit, quae timidis animos addere aut improbos terrere possent, verum multo magis se inopem consilii ostendit, ut qui remedium malorum a fortuna exspectet. Ceterum omnis eius oratio ita est inconstans, ut difficile sit intelligere, quid spectaverit, facillimum sentire, haec nullam ferme vim ad animos commovendos habere potuisse. — Sed totus hic locus videtur compositus esse ex iis, quae in oratione p. Murena c. 37. leguntur, quae quo facilius compararentur, subieci.

Non usque eo, inquit, *L. Catilina rempublicam despexit atque contempsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur. Latius patet illius sceleris contagio, quam quis quam putat; ad plures pertinet. Intus, intus, inquam, est equus Troianus, a quo nunquam me consule dormientes opprimemini. Quaeris a me, quid* (ecquid?) *ego Catilinam metuam? Nihil, et curavi, ne quis metueret. Sed copias, quas hic video, dico esse metuendas; nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinae, quam illi, qui illum exercitum deseruisse dicuntur. Non enim deseruerunt, sed ab illo in speculis atque insidiis relicti in capite atque in cervicibus nostris re-*

stiterunt. Haec noster, si quid video, latius exponere conatus est. Sed homo a republica alienus et a rebus, de quibus scribere volebat, tempore remotior animo sibi fingebat, quae a veritate abhorrerent. Quis enim credet tam contemnendos fuisse, quos Catilina secum eduxerat, aut etiam illos, quos in urbe reliquerat? Nam nitor quidem unguentorum aut purpurae fulgor non faciebat, ut valde pertimescendi essent. Itaque harum certe rerum Cicero mentionem non fecisset, ubi eos timendos esse demonstrare vellet. Praeterea animadverte, quam non multum inter hos et illos intersit. Utrique sunt male obaerati, utrique decoctores, utrique malis litibus implicati, id quod magis etiam ex iis, quae postea dicentur, apparebit. Quo minus idonea causa est, cur alteri contemnendi, alteri vehementer metuendi sint.

Nunc ad singularia redeamus. *Tongilium*, inquit, *mihi eduxit.* At ἠθικὸν illud *mihi*, quod familiariter loquentis est et rem nobis cordi esse significare solet, (ut Soph. Ai. 216. μανίᾳ γὰρ ἁλοὺς ἡμῖν ὁ κλεινὸς νύκτερος Αἴας ἀπελωβήθη Aiax noster furore ignominiam contraxit, vel cum magno dolore nostro, si rusticius efferre velis) colorem quaendam sententiae inducit parum convenientem. — De *calumnia* tutissimum mihi videtur hoc tamquam annotationem alicuius, qui rem falsam et ex vano confictam esse cognovisset, in marginem reiicere. Nam quid aliud hac voce faciam, nescio. Si autem haec ratio ab aliis iam pridem proposita et commendata probabitur, eo pacto quae paulo ante diximus confirmabuntur. — *Publicius* et *Munatius* nescio qui, quum plures haec nomina habuerint, tamen praenomine suo carent. Non sic solet Cicero. Num igitur universa genera Plancorum et Munatiorum in invidiam adducere vult? an ipse auctor in fama obscura nescivit, qui essent? an hoc ei ex eburnea porta advolavit? — *quorum aes alienum contractum in popina nullum reip. motum afferre poterat.* Quasi quo maius sit aes alienum, eo plus valeant ad rempublicam perturbandam. Hoc autem sensisse scriptorem, declarant sequentia *quanto alieno aere.* At si voluntas turbandi maxima erat in hominibus perditis, quibus re familiari dissipata nihil

spei reliquum esset nisi in bello civili, non propterea iidem vires maximas ad statum civitatis sollicitandum habebant. — *quam valentes.* Non ille potentes dicit sive opibus bene munitos. Nam *valentes* sunt, qui corporis viribus valent, robusti. Scilicet significat bellos illos homunculos, unguento delibutos, in foro volitantes, delicate et luxuriose viventes, inertes denique homines (cap 5.), qui cum fortissimis depugnare auderent. Ubi enim data opera hoc agit, tales nobis proponit timendos Catilinae socios, qui in urbe remanserant. Nunc eosdem fortibus lateribus, grandibus lacertis, gladiatoria totius corporis statura cogita, si placet.

Cap. 3. Durior est ablativus absolutus *et Gallicanis legionibus et hoc delectu;* paulo insolentius *desperati homines* dicuntur, ut non simul respiciatur ad eos, qui spem abiecerint. Sed *desperati* paulo post iterum nobis ingeruntur. Vix vero ferendum, *ex agresti luxuria* collectum esse exercitum dici, praesertim abstracto sic medio inter diversi generis vocabula pluralia posito. Nunc rem ipsam consideremus. Non est credibile, inquam, exercitum illum Mallianum tam contemnendum fuisse, ut hic describitur, aut Ciceronem id sibi persuasisse. Neque illud est veri simile, ex uno hominum genere Catilinae copias collectas fuisse, nam perditi et luxuriosi et decoctores non multum sane differunt. Quod verbo indicare sufficit, quandoquidem, qualis ille exercitus fuerit, e Sallustio discere licet. — *ex iis, qui vadimonia deserere quam illum exercitum maluerunt.* Et frigide et inepte risum captat, simulque inani verborum strepitu nos decipit. Quid enim hoc est: Exercitus Catilinae collectus est ex iis, qui (eundem) exercitum relinquere noluerunt? Nonne hoc perinde dicitur ac si exercitus ille iam fuerit antequam colligeretur? Non ignoro, quid intersit inter *deserere* et *relinquere,* priusque horum non simpliciter esse discedere aut abire, sed potius destituere et inopem relinquere (im Stiche lassen). Attamen abeundi notio plerumque inest in hoc verbo, maxime vero ubi de exercitus desertoribus mentio fit. — Proxima *quibus ego — concident* ridicula prorsus et absurda sunt. Neque enim Cicero

illis aut exercitum populi Romani, aut edictum praetoris ostensurus erat (ex equo, puta, ante aciem), neque ipsi tam verecundi aut timidi, ut adspectu tabularum de suo officio admoniti continuo demitterent animos atque in fugam se coniicerent. Nae illi probe sciebant, et quantum deberent, et quibus criminibus rei agerentur; quin propter id ipsum ad arma decurrerant, ne cogerentur in iudicio se sistere, utque eadem opera et aere alieno et legum poenis liberarentur. — *Hos, quos video — in senatum venire.* Non omnes illi in senatum veniebant; ne multos quidem eorum senatores esse prudentiae erat civilis dicere. Et vide, quanto cautius Cicero in or. p. Murena c. 39. eandem rem tractet, ut moderetur, ut plus mali subesse significet, quam dicere audeat. *Hostis enim est, non ad Anienem, — sed in urbe, in foro; dii immortales, sine gemitu hoc dici non potest, nonnemo etiam in illo sacraris reip., in ipsa, inquam, curia nonnemo hostis est.* Et similiter in prima or. in Catil. c. 4. video enim *in senatu esse quosdam, qui tecum una fuerunt. — Atque hoc etiam sunt timendi magis* ect.] Timorem suum saepe prodit orator, quae res primum eam vim habitura erat, ut coniurati inanes iras consulis riderent et quum eum consiliis suis resistere non posse animatverterent, illo contempto in sinu gauderent; cur enim timeret, si eos vi coercere posset? deinde ut homines egeni et seditiosi, qui coniuratorum consiliis favebant, qui permulti erant teste Sallustio c. 37, eo confidentius spem in turbis et bello civili ponerent. Quod vero *non permoveri* dicuntur, quaero, qui Cicero scire potuerit, quomodo affecti animis essent. An exspectabat, ut poenitentiam confiterentur et supplices se ad pedes suos abiicerent? Non, inquit, verum ut voce consulis perterriti ad Catilinam in castra se conferrent. At is quidem, cui hic Appuliam attribuerat, aut propediem exiturus erat, aut mentem mutaverat, ut de eo conqueri non conveniret.

Quae deinceps subiiciuntur, *Omnia — futuram* bene tuentur Tullianae dictionis characterem, et omnino plura sunt in hoc libro, quae per se considerata

rata Ciceroni assignare non dubites. Quod nisi ita esset, qua ratione tam multi in fraudem illici potuissent? Atque interdum mihi sic videtur, nonnulla ex ea oratione, quam Cicero postridie quam Catilina profugit ad populum habuit (ad Att. II, 1) ab eo, qui haec consarcinavit, huc esse translata, quod quam veri simile sit, aliis diiudicandum relinquo. Sed h. l. *superioris noctis* non satis commode mentionem fieri arbitror, si quidem orator tamquam de nota re loquitur. At nihildum quidquam de aliqua noctium illarum protulit, quae fatales videbantur reipublicae fore. De qua igitur nocte cogitarent, qui in concione adstiterant? Nempe de ea, dicat aliquis, quae praeter ceteros istiusmodi conventus audacia et crudelitate consiliorum insignis fuit, quae inter falcarios apud M. Laecam habita est. At fac ut aliquid huius rei in vulgus effluxerit neque Ciceroni solum et paucis per eum aliis res nota fuerit; nam etsi socios Catilinae cautius egisse credas, tamen ipse Cicero rem plerisque senatoribus cognitam esse significat prima or. cap. 1. *quem nostrum ignorare arbitraris?* in quo vero callidam artem oratoris nemo non agnoscit; si igitur nocturnus apud Laecam conventus iam vulgo percrebuerat, *illius* saltem addendum erat, ut in prima or. c. 4. *Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem*, quamquam ibi respicitur ad verba illa eiusdem orationis initio scripta *Quid proxima, quid superiori nocte egeris.* Et omnino *superius* ad aliud quid inferius aut posterius, sive verbo expressum, sive tacite intellectum referri debet; nequaquam vero superior nox h. l. esse potest, quae proximam proxime antecessit, ut complures interpretes, in quibus Beckium, vel hic, vel ad primam orationem sibi persuasisse video. Quod ut non contra rationem est in oratione pridie habita, ita in hac prorsus repugnat veritati. Nam si iam priori die proxima ante proximam fuit, hoc die esse non potest. Sed falso ac temere superiori nocti tam certum locum definiverunt. Quod quum Muretus quoque fecisset, propter hanc unam falsam opinionem in multos errores incidit et tempora, quae se rectius determinasse gloriatur, magis etiam confudit. Illud quidem imprimis est mirabile, quod e Mureniana probare vult, ultimae necessitatis senatus consultum, quo consules iubebantur providere, ne

quid respublica detrimenti caperet, eo die factum esse, quo, ut ipsa verba ex illa oratione adhibeam, *congemuit senatus frequens neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit.* v. Muret. in argum. et ad cap. 3 primae or. cl. or. p. Mur. c. 25. Sed nolo eius errores singulatim exagitare, quae res propterea est paulo difficilior, quod ille auctores sententiae suae fere non nominat. Satis igitur habeo dicere, quid mihi de hac re videatur. *Superior* nox sive *prior* (nam utrumque de eadem exstat or. I cap. 4, cf. Ernest. ad Tac. ann. I, 77), quum coniurati in domum M. Laecae convenerunt, *quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbissima*, consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium, i. e. ex hodierna computatione intercessit inter diem 6 et 7 Nov. v. p. Sulla 18. Aliquot autem diebus ante, ut ego arbitror, Catilina non modo spe consulatus adipiscendi exciderat, sed etiam comitiis consularibus repulsam tulerat. v. Sallust. cap. 26 et 27. Iam si M. Tullius, ut erat diligens est acer in eiusmodi rebus persequendis, toto negotio mane per Fulviam cognito, postridie (i. e. die 7 Nov.) hac de re ad senatum retulit; certe non multis diebus post retulit v. Sallust. c. 28 et 29; sed si proximo die id fecit, tempus orationis in templo Jovis Statoris habitae videtur accurate posse constitui; sin alio die, non multum tamen a vero aberrabimus, ubi paucos dies addiderimus. Nam illam relationem consularem secutum est continuo decretum illud, quo dictatoria quaedam potestas consulibus permittebatur, ut refert Sallustius. Si autem Asconio fides habenda est, et non video, quo iure ei fidem denegare liceat, post illud senatus consultum duodevicesimus dies fuit, quum prima oratio in Catilinam habita est, id est quoniam apud veteres moris erat in huiusmodi computationibus simul primum et ultimum diem, mensem, annum numerare, sedecim dies intercesserant, ut hodie loquimur. Ergo prima oratio in Catilinam a. d. octavum Cal. Dec. habita est, aut certe non multo post. Atque hac ratione Sallustius his quidem in rebus cum Cicerone optime concordabit, ut non necesse sit eum negligentiae incusare. Neque minus reliqua empora sic bene congruunt, ut mihi videtur. Non enim tam multos dies,

quam plerique putant, inter Catilinae discessum et nobiles illas Nonas Decembres intercessisse statuo, quibus omnia palam inventa ac deprehensa sunt. Sed quod or. III. cap. 2 initio legitur *Principio, ut Cat. paucis ante diebus erupit ex urbe* non licet ad confirmandam sententiam nostram adhibere, propterea quod *ante* et *post* nunquam cum ablativo ponuntur, nisi ubi a tempore vel magis vel minus remoto initium fit numerandi; accusativus contra iisdem particulis adiungitur, ubi relatio est ad praesens tempus. Atque hoc ita observatur, ut *ante decem annos* v. c. haud raro ad praeteritum aliquod tempus spectet, nunquam vero *decem ante annis* vel *decem annis ante* et alia similiter dicantur, si quis ab eo tempore, in quo quum maxime versetur, computare incipiat. (Similis est differentia in lingua Germanica Er ist vor 4 Jahren gestorben et Er ist 4 Jahre vorher, um 4 Jahre früher gestorben, quorum posterius nemo non ad rem praeteritam retulerit. Enucleatius de his rebus exponere consilii nostri ratio vetat). Quamobrem quamvis in primo obtutu facile se commendat illa interpretatio, quae Ciceronem hoc dicere facit: *postquam Catilina ante paucos dies, si ab hoc die numeres, ex urbe erupit*, non admittenda est talis permutatio diversarum constructionum contra consuetudinem bene loquentium, sed verba illa potius ad id tempus referenda sunt, quo Cicero diligentius providere coepit, quemadmodum civitas salva esse posset. Nam statim post discessum Catilinae paulisper quievisse videtur et exspectasse, quid agerent coniurati, qui in urbe restiterant. v. ibidem.

Cap. 4. Nunc eo revertitur oratio, unde cap. 2 deflexerat. Ibi enim inchoatus sermo de causis, cur Catilina non comprehensus sit potius, quam ex urbe emissus, citius quam conveniebat relinquitur, post haec verba: *Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis.* nam quae deinde ad contemnendum Catilinam pertinentia dicuntur, illo loco alieniora sunt, praesertim si *hostem* (in verbis supra positis) non Catilinam intelligas, sed socios eius in urbe relictos. At auctor ipse sequentibus his *Quem quidem ego hostem* planissime declaravit, Catilinam sese nunc velle cogitari, quo

sane modo sententiae illius vis evanescit, quae protaseos ratione habita non potest esse nisi huiuscemodi: Quum viderem, si Catilinam morte multassem, fore ut eius socios persequi non possem, rem huc deduxi, ut illo vivo hos una mecum oppugnare possetis. cf. I, 12. Sed haec obiter. Nunc initio cap. 4 revertitur ut dixi, oratio, vel potius reverti tantum videtur, ad illud, quod verbis modo e cap. 2 prolatis continebatur. Nam sententia est fere eadem, sed ea prorsus abrupte posita neque cum antecedentibus copulata est, neque ullo modo cum sequentibus cohaeret. Quod quum cuiusvis non oscitanter legentis animum statim percutiat, neque sensum incorruptum non possit vehementer offendere, mirabile est profecto et commemoratione dignum, homines ingeniosos et eruditos, qui huic orationi illustrandae operam navarunt, hoc patienter ferre aut Ciceroni imputare potuisse. Sed nimirum magna vis est inveteratarum opinionum et clari nominis auctoritas saepe vel acutissimorum oculos praestringit, ut suo iudicio malint diffidere, quam eum, quem venerantur, peccati aut erroris incusare. Quodsi cum alio nobis res esset, non cum hoc plagiario et compilatore, fortasse salvis criticae legibus suspicari liceret, haec aliunde immigrasse, v. c. quum aliquis in margine scripsisset, ut qua de re ageretur, indicaret, id deinde ab homine aliquo laevae mentis in contextum esse illatum. nam verba post sequentia (*Non est* iam et cetera deinceps) aptissime coniunguntur cum iis, quorum extremum est *futurum*. At non sic licet in hoc genere scriptorum. Quid igitur sibi voluit homo, si quidem non plane fuit excors ac demens aut mente alienata, quum haec scripsit. Haud facile sane expedio. Tantum mihi videor perspicere, aliquid hominem commovisse, ut continuare nollet, quae natura sua coniuncta essent. Fortasse comminatione ista *Nae illi vehementer errant* superiora bene concludi arbitrabatur, et quum etiam haberet, quae in eandem sententiam diceret, haec ita subiungi posse putabat, si antea ad primariam sententiam revertisset. Ac similis ratio videtur versata esse in illis primi capitis *Atque hunc quidem unum* cet. Sed vereor, ne mihi occinat aliquis illud Terentianum

Ere, quae res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam rem consilio regere non potes.

Nunc animadverte mihi, quam odiose *exspectavi* tam paucis interiectis post *expectant* ponatur. Quod aliquis fortasse sic emendare conetur: *Ego quod exspectavi.* — Deinde *aperte videre*, cap. 2 iam lectum, iterum nobis offertur, quamquam collocatione illud verborum lenitum. Nam ne quis *aperte faciam* coniungat, natura coniurationis videtur obstare, quae fugit aperta et abdita quaerit, quum simila ut *Aperte iam bellum instat* et usitate dicantur, et offensione careant. Tum circuitus loquendi *si quis est qui* aliquid molestiae habet, similiter ut cap. 2 init. *si quis est talis*, quod tum per se, tum propter adiunctum *qui* nonnullorum sensus offendet. Ipsa autem ratio debilis est atque infirma. Nam qui sentiunt cum aliquo, non continuo coniurant. Mox orator fortis esse incipit. *Non est iam lenitati locus*, inquit, *severitatem res ipsa flagitat. Unum etiamnunc concedam ut exeant* (sic enim dicendum erat, quia sine tali coniunctione aliquit desideratur ad v. *concedam*, quoniam coniunctivus solus h. l. non potest aliam quam iubendi potestatem habere.) Iam vero deest aliquid, quo proposita sententia absolvatur, scilicet quid ipse facturus esset, si illi data sibi potestate excedendi non usi fuissent, aliqua ratione significari debebat. Pro eo abrupte in exclamationem erumpit, in qua manifesta est imitatio primae orationis c. 5 *exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae.* (Ultima vox immerito suspecta erat Ernestio, nam duo genitivi diversi generis sunt, prior docet, quae sit sentina et est vice appositionis, *sentina* autem *reipublicae* pro uno nomine habetur, ut *sentina urbis* ad Att. I, 19. Atque huiusmodi genitivorum copulatio et satis est frequens et vacat offensione.) Deinde statim eo relabitur, unde paulo ante (in principio orationis) vixdum emerserat, unum certe hostem reipublicae magno cum emolumento civium magnifice superatum esse. Sic ille nunquam rem peragit et absolvit, atque adeo ne scit quidem, qua de re potissimum agat et quando prioribus finitis ad aliam partem transeat. Abhinc

longus sermo ducitur de pestifero ingenio et malis artibus Catilinae, in quo plurima vel otiosa sunt vel aliena. Ac statim initio languere orationem sentias, turpius autem cap. 5 allucinatur, ut postea videbimus. Nunc rursus ipsa verba et formam orationis contemplemur. Principio consuetudo magis conservabitur, si sentinam *exhauriri* dicas, Catilinam *eiici*, cf. in Rull. II, 26 extr. Sed hoc leve est. Ille vero verborum ambitus, cuius initium est *Quis tota Italia veneficus* nimius est in eo genere, quo saepius ab eodem verbo ducitur oratio. Quae modum superans redundantia quum ipsa per se deformis sit, tum praecipue vituperanda est, quod inter multo breviora enunciata ponitur. Non sum nescius, in scriptionibus lectionis causa comparatis similia quaedam inveniri, etiam apud Ciceronem, ut in Oratore cap. 33. *Nihil enim* etc. et c. 40, quamquam boni scriptores Latini, quaecunque litteris mandant, ea quomodo pronuncientur, cogitare solent; in orationibus autem dubito an ullum exemplum tantae et tam incompositae copiae exstet. Nam quibus in locis genera rerum sua sponte indicant, ubi legitima vocis interstitia sint, ii cum hoc minime sunt comparandi. Hic nulla est varietas, nulla venustas, nulla gratia. In Philippica secunda cap. 5 tredecim nomina virorum nobilium concervantur; sed additamentum *qui tum erant consules designati*, quod ad proxima duo nomina pertinet, argumento est certissimo, haec separatim pronunciata esse, et sic e reliquis terna videntur coniungenda. — *Aliis fructum libidinum non modo impellendo, verum etiam adiuvando pollicebatur.* Hoc novum genus pollicitationis est impellendo polliceri, quo utatur qui volet. Equidem tale quid expectabam: Non modo impellebat ad mala facinora, (quum fructum voluptatis aut spem praemiorum ostenderet), sed etiam ipse adiutor aderat. Sed hoc vulgare erat scilicet. — Deinde non aptissime transitus fit per *Nunc vero*, quippe quod nihil sibi habeat oppositum. Quod autem omnes aere alieno oppressos, qui ubique in Italia essent, a Catilina in coniurationem adscitos esse ait, id non modo longe supra veritatem exaggeratum est, sed etiam parum sapienter dictum, quia hac ratione omnium eorum mentes laedebantur,

qui quacunque de causa magno in aere alieno erant. Atqui horum quum infinita esset multitudo, nequaquam omnes erant ad audaciam et mala facinora prompti.

Cap. 5. Quae initio capitis quinti leguntur, mirum in modum languent illo in loco. Nam auctor videtur lente ac per otium in Catilina contemplando versari. Sed, nisi fallor, invenisse se putabat quod concinne diceret et id frustra perire non sustinebat. Sic autem orditur, ut ad aliquid maius progredi videatur. At id quidem iam audiveramus, nullum esse gladiatorem, qui se cum Catilina familiarissime vixisse non fateretur. Rem ipsam habes in libro Q. Ciceronis de petit. consul c. 3. *qui postea cum histrionibus et cum gladiatoribus ita vixit, ut alteros* libidinis, alteros *facinoris adiutores haberet;* quae de Catilina dicuntur. Simile item hoc in or. p. Coelio c. 5. de eodem: *neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum.* — Pari modo proxima *Atque idem tamen — consumeret,* utpote aliena ab instituto sermone, declamatore potius in umbratili sede commentante, quam oratore forensibus certaminibus exercitato et in rebus agendis versante digna sunt. Nimirum iste ne hunc quidem locum e primae or. c. 10 adumbratum, in scrinio relinquere potuit. (Duritiem in v. *assuefactus* breviter notamus). Post haec rursus eo revolvitur, ut quemadmodum supra cap. 4 (*O fortunatam remp.* ect.) exclamet, Fortunatam fore remp., si Catilinam sui comites secuti fuerint; in quo *comites* nonnemini aut obscurum aut languidum videbitur. *Non enim iam sunt mediocres hominum libidines.* Non sui seculi homines vituperat, sed coniuratos. Quod observandum est, quia *homo* cum contemptu pro *ille* paulo aliter dicitur. *Humanae* vero *audaciae* non uno nomine displicent, vel quod omnis huiusmodi audacia magnam partem inhumanitatis habet, vel quod audacia etiam de pluribus non solet pluraliter dici. Nam quod Festus testatum reliquit Catonem *audacias* dixisse, id luculenter ostendit, hoc in communi usu versatum non fuisse. Alia est ratio loci cuiusdam in epist. ad Att. IX, 7.,

ubi plures plurales coniuncti peculiarem vim in abiiciendo et contemnendo habent, in quo genere novare licet. — *Fortunas suas abligurrire.* Vilior est fortasse haec locutio et nimis scenica. Sic Ter. Eun. II, 2, 4 *patria qui abligurrierat bona.* cf. Ennium ap. Donatum ad Ter. Phorm. II, 2, 25. — *Res eos iampridem, fides deficere nuper coepit.* Vereor, ne hoc concinnius, quam verius dixerit. An multos iam diu graviter obaeratos fuisse credemus et nuper demum, nescio quo malo fato, accidisse, ut non paucorum, sed omnium simul fides labefactaretur? — *Quodsi in vino et alea comissationes solum et scorta quaererent.* In vino comissationes quaererent? Nemo dum quisquam sanus inventus est, qui sic loqueretur. Ne in alea quidem quum comissationes et scorta quaeri dicuntur, aequo animo ferimus. Facilius pateremur: in comissationibus aleam, vinum et scorta quaerere. Saltem sic esset ad rei naturam accommodatius. At eo modo non contraria contrariis opponerentur; nunc elegantiam et concinnitatem admirare, si potes. — Sed felicissime noster formam orationis Ciceronianae quum alias persaepe imitatur, tum in his, quae sequntur: *Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis insidiari* ect. Unam parvam rem desidero, sapientiam. Quo pacto enim inertes esse possunt, qui, ut paulo ante dictum est, singulari atque intoleranda sunt audacia? aut quo modo somniculosi, qui dies noctesque de caedibus, incendiis et rapinis cogitant? Firma memoria praeditum esse oportet bonum oratorem neque id, quod paulo ante dixerit, statim oblivisci. M. Tullius autem, etsi is minime conferendus cum Q. Hortensii memoria, tamen non ita vacillabat recordatione, ut C. ille Curio, quem Cicero in Bruto c. 60 memoria refert ita fuisse nulla, ut aliquoties tria quum proposuisset aut quartum adderet aut tertium quaereret. De ceteris epithetis in eodem complexione verborum nihil dico. Nam et omnia singulatim excutere piget, et alii facile iudicabunt, quam vere et convenienter turbulenti illi et facinorosi homines sic universe stultissimi et ebriosi et dormientes dicantur. Et tamen de *dormientibus* hisce non possum omnino tacere. Quum enim *ebriosos* dixerit, non

ebriis, nonne aequabilitas postulabat, ut hic quoque perpetua vitae consuetudo et propensio animi significaretur? *Vigilans* quidem etiam hac ratione accommodatum esset, quoniam et dormientis et somniculosi sive inertis contrarium est. Sed concedamus homini, ut isto modo loquatur. *) Qui vero, obsecro, fieri potest, ut quisquam inter dormiendum insidietur? Ecquid agnoscimus homuncionem unice in verbis eligendis et apte componendis occupatum, de sententiis recte iudicandis et ad veritatem exigendis securum? — *Qui mihi.* Adamavit hoc *mihi*, ut videtur. cf. ad cap. 2. Quae his adiunguntur, missa facimus, ut levioris momenti et quia ineptiarum iam taedet. — *Quibus ego confido impendere fatum aliquod.* Antea c. 4 fortis esse coeperat et quoniam nimium diu lenis fuisset, iam severum se fore ostenderat. Nunc subito iners et ignavus a fortuna omnia exspectat. Sed continuo tamquam sui oblitus dissimilia profert: *Quos si meus consulatus sustulerit.* Haec commode cum illis conciliari non possunt. — *quoniam sanare non potest*, inquit. Ne hoc quidem nobis stabile et perpetuum permanebit. Nam paulo post (vide hominis inconstantiam!), an quidam eorum sanari possint, dubitat: *quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo.* Infra autem cap. 8 profitetur, se non tam ulcisci illos studere, qum sanare et ipsos placare reip., neque se intelligere, quare id fieri non possit. Quod tum quidem de una parte coniuratorum dicit, sed cap. 9 inopia consilii *unum idemque ceteris omnibus* praecipit, *ut desperent* cet., i. e. omnes sanare conatur. — Praetermitto *nescio quod*, non promiscue illud utendum pro *aliquod* vel *quoddam* et quoniam reliqua usque ad finem huius capitis nullam fere ansam reprehendendi praebent, ad cap. 6 pergo.

Cap. 6. Hic vehementer increpat eos, qui dicerent, a se in exilium iactum esse Catilinam. Quod si verbo efficre posset, ut homines in exilium irent scil., istos ipsos sese eiecturum ait, qui haec loquerentur. Tam valde igi-

*) Sero video, var. Lectionem ebrios bonorum librorum auctoritate defendi.

tur sermonibus hominum commovebatur, qui pridie in senatu et saqientem et magnanimum se praebuerat? v. or. I c. 8 et 9. tamque idem erat irritabilis, ut leve delictum linguae gravissima poena persequi vellet? Non talem novimus Ciceronem, qui et sermones vulgi contemnere didicerat, et si aliquando minus constans fuit, tamen nunquam pusillum animum palam prae se tulit, sed quam personam in republica susceperat, eam gravitate et dignitate orationis tueri studuit. At sine causa irascitur. Quid enim stomacharis? dicat aliquis. quid te maceras et rumperis? si quidem Catilina, ut ipse ais, non est iturus in exilium. v. paulo post *Homo enim videlicet timidus* cet., quod ironice profertur, et inferius *sed, mihi credite, non est iturus.* Itaque quoniam ii, qui eam rem aegre ferebant et querebantur, propediem cogniturі erant, quid Catilina designasset, invidia ex eo contracta non poterat esse diuturna. — At imperasse illi, ut in exilium iret, insimulabant Ciceronem homines, quo tamquam imperiosum et arrogantem in invidiam adducerent. Et vere quidem, ita ut suo se gladio iugulare videatur. Nam sic ipse or. I cap. 8: *in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere*, et or. III c. 2 *tum, quum ex urbe Catilinam eiiciebam; non enim iam vereor huius verbi invidiam*; in quo (nam ne illa quidem praetereunda sunt, quae sententiae nostrae adversari videantur) *non iam* sane indicat, Ciceronem antea hanc invidiam metuisse. Nunc argumentationis rationem consideremus. Sunt qui dicant, a me in exilium eiectum esse Catilinam, inquit. Quid igitur affert, quo minus id verum esse credamus? Non is est Catilina, inquit, qui voci consulis pareat. nam est audax et improbus. Ergo non ivit in exilium. — Attende, quaeso, nunc quidem non negari id imperatum esse a consule. Deinde sequitur prolixa, molesta et taedii plena narratio, in qua exponitur, quid hesterno die in senatu dixerit, ut Catilinam ad voluntarium discessum ex urbe impelleret. Paulo obscurius est, quorsum intendat ista oratio; sed hoc videtur dicere: Stultum erat, eum in exilium eiicere, qui iam dudum constituisset in castra proficisci et bellum moliri. Ergo non imperavi, ut solum verteret. Subiungit: neque ille in exilium potius, quam in castra sua se con-

feret. — Sed statim (cap. 7 init.) ita continuat, ut id fieri posse videatur credere; nam suam conditionem miseratur, si Catilina subito sententia mutata *iter ad fugam atque in exilium converterit.* Mox autem animum suum rursus confirmat et erigit. *Est mihi tanti*, inquit, *huius invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo* ect., quae verba plena constantiae et gravitatis (cf. I, 9) non sunt eius personae accommodata, qui supra dixerit: *Quod ego si verbo assequi possem, istos ipsos eiicerem, qui haec loquuntur.* — Non inficior in hac parte pleraque verbis valde bonis efferri; sed mulier superne formosa in turpem piscem desinit. Atque haec est causa, cur seriem dictorum non usque ad finem capitis 7 persequar.

Revertimur ad initium cap. 6. Ac primum aptam connexionem cum superioribus desideramus. Nam verba *At etiam sunt* etc. praeter omnium opinionem inferuntur ut mihi quidem videtur. Fortasse referenda sunt ex mente auctoris ad illa cap. 2. *Sed quam multos fuisse putatis, qui quae ego deferrem, non crederent, — qui etiam defenderent?* Deinde narratio, quae incipit *Hesterno die* male continuatur antecedentibus. Sed multo graviore crimine hic scriptor tenetur, si verum est, quod mihi quidem veri simillimum videtur, eum in temporis notatione lapsum esse. Nam quum Cicero superiori die de *proxima nocte* nihil dixisset, praeterquam se scire, quid Catilina cum suis tum egisset, hic quod de priori nocte cap. 4 primae or. dicitur, ad hanc (proximam) videtur transtulisse. Etsi enim furiosi hominis insidiis plus semel periculum Ciceroni paratum est, vereor tamen, ut ullius boni auctoris testimonio probari possit, tale quid *hesterno die* factum esse. Tullius quidem nusquam eius rei quidquam commemorat, nec Sallutius; et tamen alter, dum tacet, clamare videtur, nihil tale tum accidisse, cf. primam or. Huc accedit, quod ille, si foris saepe apertum latus dedit adversariis, *domi suae* certe sibi satis cavit ab eorum insidiis, posteaquam Cornelio et altero equite Romano excluso sospes evaserat. — Post haec vide, quam lente hic omnia referat, etiam quae nihil ad rem pertineant. *Quo quum — reliquerunt* cf. I, 7. Otiosa enim haec esse et a propo-

sito aliena, quis non sentit, qui modo aliquid sentit in huiusmodi rebus? Hic tamen locus e Ciceronis invectivarum secunda citatur a Prisciano p. 1114 Putsch. — Nihilo minus languida sunt verba proxima. Quo nomine imprimis notabile est *necne*, etiam si consuetudo Latini sermonis hanc forman interrogandi admitteret. *An* autem, sequente *necne*, apud nullum probabilem scriptorem reperias. — Abhinc memorabile dictu est, quam fideliter hic orationis primae sermonem referat. vel hoc: *Quaesivi a Catilina, utrum fuisset nocturno conventu apud M. Laecam*, *necne* (nam verba mutavi, quod aures soloecum loquendi genus repudiant), ut fractum est atque enervatum prae mascula ac virili dictione Ciceronis! Deinde Catilina sanequam inconvenienter *primo* reticuisse dicitur. Quasi postea eum dixisse aliquid, aut ipse huius orationis auctor, aut Cicero in prima or. commemoret. Atqui *primo* (quod est ablat., ut *principio*, im Anfange, Anfangs) nusquam locum suum tueri potest, nisi si rem postea mutatam esse indicetur. ut v. c. Primo negavit, postea confessus est. — *Patefeci cetera, quid ea nocte egisset.* Primae orationis vestigia persequitur et adhuc verum narrat. *ubi fuisset.* Scilicet apud M. Laecam; iam audivimus. In quam enim partem aedium secesserit, in prima oratione non dicitur. Ergo sententiae explendae causa verba esse quaesita videmus. *quid in proximam constituisset.* Hoc vero iam falsum est et ementitum. Nihil, inquam, a Cicerone dictum est, quod eo pertineat. — *Quum haesitaret, quum teneretur, quaesivi, quid dubitaret eo proficisci, quo iampridem pararat* (parasset). Itane vero? tam remisse ac dissolute quaerere Ciceronem? Imo vero impellit, urget, instat, puantum potest, ut Catilina ex urbe decedat. cap. 5 init. *Quae quum ita sint, perge quo coepisti* etc. Quid est verba depravare et in alienum sensum detorquere, nisi hoc est? — *quum arma, quum secures, quum fasces, quum tubas, quum signa militaria, quum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem praemissam.* Nimium rerum coacervatum est, ex quo languor existit et numerosae orationis modus exceditur. Verum gravius est multo, quod in his quoque turpissime et ineptissime mentitur. Ubi

enim Cicero tubarum, signorum, reliquarum nugarum vel uno verbo mentionem facit? Nusquam prorsus in tota oratione, nisi quod cap. 9 de aquila illa argentea loquitur. Iamne persentiscimus verborum struendorum doctorem ab artificio suo non recedere? — Dehinc paulisper minore cum offensione proceditur, quamobrem pauciora annotavimus.

Cap. 7. *O conditionem miseram* cf. p. Flacco c. 35. — *consiliis laboribus periculis meis.* Eadem or. III sub initium leguntur. — *quod illum emiserim potius, quam quod eiecerim.* Duas constructiones confusas videmus. Aut *potius*, aut posterius *quod* abesse debebat. Atque hoc quum in quibusdam codd. non compareat, facile id patimur expungi, ne cupidius agere videamur. — *Sed quum sint homines, qui illum, quum profectus sit, eiectum esse dicant, iidem, si interfectus esset, quid dicerent?* Perquam debile est h. l. verbum *profectus* neque ipsum per se satis ad rem accommodatum. nam (quod hodie multi nesciunt, qui *proficisci* et *iter facere* promiscue scribunt) nunquam *proficisci* dicitur, nisi respectu ad locum, ex quo iter suscipitur et ut initium intineris significet (abreisen), id quod ab huius loci ratione alienum est. Potest autem quispiam minis aut imperio eiici et idem profisci i. e. iter ingredi, ita ut haec verba non recte inter se opponantur. Sic autem loqui licebat: Qui sua sponte exiit, eum vi et minis eiectum esse aiunt. Quod cur noster veritus sit dicere, causa in aperto est. Praeterea observandum est affectatum acumen in verbis *profectus* et *interfectus*, sane illud frigidum, quod iam Spaldingius ad Quintil. Inst. or. IX, 3, 71 ut *exemplum paronomasiae longius petitum* notavit. — Reliqua usque ad finem huius capitis impeditiora sunt et laxiore nexu sententiarum molesta. Ut illud *Quamquam* quo referamus, non facile habemus. Nam quum haec coniunctio, praeterquam ubi in protasi ponitur, semper correctionem quandam ante dictorum incipiat, in proximis verbis nihil videtur inesse, cum quo hoc possit coniungi. Remotius enim est illud in fine cap. 6: *et ille se Massiliam, ut aiunt, non in haec castra conferet.* Si vero illuc animum referre cogimur, perpetuitatem sententiarum interrumpi manifestum est. — *qui*

Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Novo exemplo cognoscimus, ut hic homo continuo se induat, quum acumina confectetur. Quid enim obscurius pronunciari potest? ut nihil dicam de verbo *vereri*, quod non idem est ac *metuere.* Sed quid interesse statuemus inter eos, qui queruntur, et eos, qui verentur? Queruntur, si quid video, qui sciunt ita esse ut fama fert; verentur vel metuunt, qui, quid agatur, ignari tamen plus minus credunt. Ergo paulum est discriminis, quum hoc sit commune, quod utrique rem aegre ferunt. Iam quoniam *tam — quam* h. l. vix potest, ut alibi, *non minus quam* valere; diversitas enim notionum querendi et metuendi impedimento est; haec tandem sententia prodit. Isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non compertum habent, id eum facere, sed potius credunt tantummodo. Quod quum pro loci ratione prorsus vanum ac futile sit, circumspiciendum est, quid menti scribentis obversatum esse videatur, ne homini iniuriam faciamus. Nam quemque ipsius modulo ac pede metiri quum omnino verum habetur, tum in hoc genere artium et litterarum; et iustitiam etiam noxiis aiunt esse praebendum. Hoc igitur ille voluit, nisi fallor: Isti non tam misericordia commoventur, quod cogitent, quantis e fortunis Catilina in quanta mala inciderit, quam vehementissime cupiunt, ut ille bellum ingrediatur et metuunt, ne Massiliam contendat; non humanitati dant aliquid in hominis nocentis et pestiferi, sed tamen miseri et exulis infortunio, ut vulgo hominum animi in eiusmodi casibus inclinari solent, sed ardentissimo studio ad bellum ruunt et metuunt, ne Catilinae discessu sua spes frustretur; non miserantur Catilinae vicem et gaudent patriae salute, sed dolent, quod ille a bello abstrahatur vel metuunt, ne it fiat. Talia ferme eum sensisse probant sequentia: *Nemo est istorum tam misericors* etc. i. e. qui misericordiam erga Catilinam prae se ferunt, crudeles sunt in patriam. Nunc vide; quam obscure et contorte istud enuncietur. *Non tam hoc queruntur*, inquit. Imo vero queruntur et dolent, quod Catilina omisso belli consilio Massiliam se conferre videatur. Nam malint cum ad Mallium s. Manlium ire, ut ipse perhibet. Aliud

igitur dicit, aliud sentit, quae summa est infantia. An iniuriam facere homini et frustra tricari videor? Si cui ita visum erit, age, prodeat et quid illa verba sibi velint, edoceat. At ego quovis pignore contendere ausim, neminem inventum iri, qui sensum ex iis idoneum extundat et hunc eleganter verbis expressum esse probet. — Deinceps hoc modo pergit: Atqui non ivit Massiliam Catilina nam ille, si nunquam antea de bello cogitasset, tamen in latrocinio perire mallet, quam in exilio vivere. — Hoc vero argumento malevoli homines ad invidiam Ciceroni conflandam abuti poterant. Nam proclive erat ei obiicere, quod Catilinam, hominem sane pudentem, sed iniuriae impatientem, contumeliis et minis ad desperationem rerum suarum et extrema experiunda adegisset. Itaque parum sapienter et circumspecte hic ratiocinatur noster, quum Ciceronis oratio vel maxime sapientia eminere soleat. Quod autem Catilinae *nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit*, ut postea dicitur, id ita falsum est, ut contrarium fortasse verius dicatur. Quid verbis opus est? Neque petitiones consulatus, neque insidiae, quas consuli in campo Martio fecerat, nec multa alia ei prospere cesserant. cf. Sallust. c. 26. Ergo ne hoc quidem Ciceronis esse potest. Sed si quis est, qui adhuc dubitet, quali scriptori haec tribuenda sint, is paulo post dubitare desinet, si cor habet.

Cap. 8. *Sed cur tam diu de uno hoste loquimur, — de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus?* Nihilne vero? At iam tertio et quarto capite inde a verbis *Hos quos video volitare in foro* et rursus cap. 5 a verbis *Hunc vero si sui fuerint comites secuti* usque ad finem eius capitis sat multa de isto hominum genere dicta sunt. Et quodam modo eodem spectat caput 6 et 7, in quibus exponitur de iis, qui Catilinam a Cicerone in exilium eiectum esse criminarentur. Atque omnino nihil adhuc in medium prolatum est, quod non aut ad Catilinam pertineat, aut ad eius socios. Quanta igitur est ista fatuitas, haec omnia aut dissimulare, aut non meminisse! — Deinde mirum in modum debilitatur oratio, quum se illos non vindicare, sed sanare velle profitetur, qui caedem, rapinas et incendia meditaban-

tur. Qua de re non opus est, ut multa dicantur, quum et suus quemque sensus eius rei admoneat, et supra hunc locum attigerimus. Illud autem silentio praeterire non possum, nunc oratorem omnes Catilinae socios, qui in urbe remanserant, sanare et reipublicae placare velle *), et mox cap. 10 quosdam, quos in quinto genere ponit, a Catilina non revocare; quae non sunt consentanea.

Exponam enim vobis, Quirites cet.] Hinc iam sequitur longe producta expositio de generibus hominem, ex quibus *copiae Catilinariae* comparentur; otiosa illa prorsus, nisi iis, qui adsunt, demandabitur, ut medicinam consilii atque orationis, quam orator affert, ad ipsos, quibus mederi debet, adhibeant. Neque enim multi illorum in concione adesse poterant, et, si plurimi adessent, orator certe non loquitur tamquam cum praesentibus. *Istas* autem *copias* quam apte comparari dicat, ipse viderit. Nihil est enim in ante dictis, ad quod hoc referre liceat, neque castrenses copiae intelligi possunt, siquidem plurimi illorum in urbe mansuri erant.

Sed nunc instat locus palmarius, qui etiam hebetioribus oculos acuere possit, in quo genera eorum, qui cum Catilina conspirabant, ordine recensentur. Quum enim in partitione vel maxime vitiosum sit, si formae vel partes, quae universo generi subiiciantur, non diversae sint, sed aliae ad alias referri possint; neque minus vitiosum, si sit obscurum, quid potissimum quoque loco significetur aut quae res cuique parti subiiciantur; utroque vitio plane singulariter laborat haec oratio. Atque e variis hominibus, vel genere, vel fortuna, vel vita dissimilibus, hanc coniurationem conflatam esse, e multis Tullianarum orationum locis intelligi potest; sed nusquam ille id agit, ut genera ipsa certis argumentis et indiciis discriminet. In oratione quidem pro Murena c. 24 iuvenes nobiles, indices atque sicarios, milites quos Catilina se habiturum speraret, colonos denique Falsulanos et Arretinos commemorat; plena vero enumeratio illo in loco exspectari nequid; quamquam aliquid magni momenti praetermissum esse

*) Wolfius in editione quattuor orationum p. 45 hunc locum tamquam Ciceronis laudat.

esse non est credibile. Sallustius autem iuventutis perditae ac luxuriosae, corruptae atque audacis mentionem facit cap. 16, deinde ceteros aere alieno oppressos et milites Sullanos et nobiles, quos dominationis spes agitabat, et multos e coloniis et municipiis commemorat, in quibus Catilina spem suam repositam haberet. Quid hic noster? Subtilius scilicet agit et quum plene, quantum fieri potest, omnes producit, tum diversos inter se ut diversos ponit atque acute distinguit. Sex enim genera facit. In quo hoc primum est admirabile, quod neque a principio hoc dicit, se omnem illum gregem in sex partes dividere, neque quae illae sint breviter proponit. Difficile sane negotium, quod equidem profiteri nolim me commode perficere posse. Sed quoniam id ipsum agimus, ut naturam huius partitionis examinemus, aliquo certe modo efficiendum est, ut omnia uno in conspectu adspiciantur. Tutissimum autem et simul commodissimum visum est, ipsis orationis nostrae verbis servatis singularum partium proprietates notare.

Primum igitur genus est eorum, *qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent*; secundum eorum, *qui, quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen expectant*; tertium genus constat e *colonis Sullanis*; quartum genus *est sane varium et mistum et turbulentum* (et turbidum, ita ut mirandum non sit, non satis dignosci, quod aut quale sit); quintum est *parricidarum, sicariorum, omnium denique facinorosorum.* Postremum autem genus, *quod proprium est Catilinae*, omnes aleatores, adulteros, pueros delicatos comprehendit.

Rationem et causam divisionis frustra quaerimus, id quod in singulorum generum accuratiore contemplatione etiam magis apparebit. Etenim, ut a primo ordiamur, quid inter hoc et secundum genus interesse dicemus? Utrimque sunt homines male obaerati; atque hoc etiam in tertium et quartum genus cadit. Nam et Sullani milites (cap. 10) *in tantum aes alienum inciderunt, ut salvi esse non possint*, nisi deus aliquis intervenerit; et qui in quarto genere ponuntur, pariter *iamdudum premuntur, ut emergere non possint*, atque *in ve-*

tere aere allieno vacillant; ita ut in hoc quidem, quod commune est multorum, unius generis proprium esse non possit. Quid aliud nobis datur? Alteri, inquit, magno in aere alieno sunt, sed id facile dissolvere possunt; plus enim habent in sua pecunia; alteri contra, quum aere alieno premantur, dominationem tamen exspectant et rerum potiri volunt. Quasi vero dominationem exspectare (vel potius expetere, vel sperare cf. Sall. c. 17) aut magnam potentiam in republica affectare non possint, qui tantum possident, ut facile dissolvant. At ut idem et solvendo sit et potentiam concupiscat, per se non est repugnans; neque etiam illi, qui tum erant locupletes, ab eiusmodi cogitationibus abhorrebant. Sallust. l. c. *Erant praeterea complures paulo occultius huius consilii participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia aut alia necessitudo.* Ergo hactenus in utrisque omnia paria sunt: utrimque magnum aes alienum et inde ortae difficultates, utrimque spes dominationis et cupiditas honorum. Restat, ut doceamus, et eos, qui aere alieno premantur, posse interdum creditoribus satisfacere, et qui habeant unde solvant, tamen interdum premi aere alieno. Nam possit aliquis verbo *premere* eam potestatem tribuere, ut id grave onus significet, quod amoliri nequeas. At ut onus sit ita gravius et molestius, si depelli non possit, in ipso verbo *premere* hoc inesse negaverim. Illi quidem, quibus necesse erat, fructibus praediorum certare cum usuris, hoc onere aliquo modo premebantur, ita ut auctor ipse id, quod volumus, suo testimonio confirmare videatur. Atqui si locupletes illi, qui tantas possessiones habebant, ut parte earum divendita facile se liberarent, tamen onus aeris alieni nonnihil sentiebant, nihil causae est, cur praefracte negemus, etiam alterius generis homines potuisse dissolvere et partem eorum certe plus in suis bonis quam in alieno aere habuisse. Iam omnia in utrisque eadem videmus, ut nihil discriminis reliquum sit. Sed fac ut aliquid subsit, non facile illud a quovis intelligendum, tamen profecto neminem fore arbitror, qui paulo attentius hunc locum consideraverit, cuius animos non defectu omnis elegantiae in ista partitione commoveatur. — Ceterum ad rem conferenda sunt

haec ex orat. p. Sulla c. 20: *Tum — plurimis et pulcherrimis P. Cincii praediis venditis aes alienum eiusdem dissolutum est, ut, quae causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae possessionis, ea Cincio non fuerit, praediis deminutis.*

De reliquis in eodem capite haec observamus: *possessiones — quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt.*] Duritiem sermonis probe sensisse interpretes, eorum conatus explicandi aut emendandi satis ostendunt. *Dissolvi a possessionibus* intelligere nimis durum videtur, nec propterea probandum, quod *dissolvere* proprie dicitur in aere alieno. Quamobrem sanitas huic loco facillime conciliabitur, si *dissolvere* cum Ernestio scribas, quamquam ea ratione non librarii error, sed peccatum scriptoris corrigetur, et si verbum *adducti* ex eiusdem sententia mutes. — *Horum hominum species est honestissima; sunt enim locupletes.*] Iam habes, quid satis sit ad laudem et famam honestatis. Judaeum aliquem de trivio loqui putes, quod genus aiunt prudentiae et virtutis honorem divitiis deferre. — *Tu agris — copiosus sis* etc. Hae interrogationes (similes vide p. Plancio c. 16 *Tu deligas* etc.) paulo abruptius inferuntur neque confirmant id, quod propositum erat, horum hominum causam impudentem esse. Sententiae hoc modo artius copularentur: Tu locuples atque copiosus sis et debita non solvendo creditores fraudare coneris? Nam fidem non acquirere, si possis, stulti potius est, aut negligentis quam iniusti et impudentis. *Acquirere* autem insolentius sine accusativo ponitur: quod non reprehenderem, nisi multa exempla similis insolentiae in hoc libro reperirem, nam quae sola per se aut excusari aut probari possunt, ea saepe coniuncta novitate dictionis aut duritie vitiosam redduut orationem. *Quid? ergo in vastatione omnium* etc. Qui significantur h. l., non coniuraverant cum Catilina, atque adeo partim ne favebant quidem eius consiliis, sed propter imprudentiam nihil mali timebant et securi erant in maximis reipublicae periculis, ut piscinarii illi, de quibus v. ad Att. I, 18 et 19. II, 9. — In *tabulis novis* iisque *auctionariis* inusitatum et frigidum genus loquendi iure mirabatur Ernestius,

quem vide. — *Quod si maturius facere voluissent.* Quid facere? Neque enim adhuc dictum est, quidquam illos aut fecisse aut facere voluisse. Scilicet ad tabulas auctionarias nos referre iubemur atque e substantivo verbum rei aptum elicere, et erunt, qui per hanc occasionem copiose et erudite de hoc usu veterum scriptorum disputent. Recte sane, si modo ipsi auctionem instituerent, neque bona eorum alieno arbitrio voci praeconis subiicerentur, si consul tabulas auctionarias quocunque tandem modo proposuisset. Nam de modo proponendi quaerant iureconsulti, si tanti res videbitur. — *certare cum usuris fructibus praediorum.* Hic sufficit verbo indicare, quam odiose duo ablativi concurraut et quam contorte sententia expressa sit. Atque haec est causa, cur interpretes tam multa verba in explicando consumserint. De re cf. in Verr. lib. 4 cap. 6. — *deduci de sententia possunt.* Quam sententiam habeant, nondum dictum est. — *si permanebunt*, non in urbe, sed in sententia; verum hoc extrinsecus arcessere bene scribendi ratio vetat. Denique cur hi lenti debitores vota contra rempublicam faciant, e verbis huius scriptoris non intelligitur.

Cap. 9. Pergimus ad caput nonum. *Quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant.* Quamquam — tamen. Quasi haec aliquam repugnantiam habere videantur, aut in aere alieno aliquid insit, quod homines minus proclives faciat ad dominationem exspectandam. Atqui omnes rerum memoria testatur et ipsa rei natura fidem facit, homines perditos et valde obaeratos, quibus tranquilla republica nihil boni sperandum, nihil mali non metuendum sit, ad turbandum ac tumultuandum semper promtissimos et esse et fuisse. Quidni igitur cupide et cum desiderio novas res exspectent abolitaque vetere republica dominationem in civitatem induci exoptent? Atque huic sententiae et noster suffragatur, quum capite superiore divites illos bellum exspectare suspicatur. Sed ambigi potest, quam dominationem eos, de quibus nunc agitur, exspectare dicat, suamne an alienam. Si suam, parum accomonodatum est verbum exspectare, quippe quod patientiam et quietem significare soleat; si alienam, non est consentaneum, ipsos rerum potiri velle honoresque et magi-

stratus sperare, quum invidiosum nomen dominitationis in superbo unius imperio dicatur, et uno cunctas res ad arbitrium suum administrante magistratus in civitate aut nulli aut sine potestate esse soleant. Sed utut hoc est, honores quidem certe non ultimo loco commemorari debebant, quo positu sententia debilitatur. — De *uno eodemque, quod omnibus praecipit* iam supra verbum iniecimus. Est hoc eiusmodi, ut neminem fore putem, qui id aequo animo ferat, neque aut indignetur, aut rideat, aut scriptorem contemnat. Nam quum initio singulis generibus eorum, qui cum Catilina sentirent, se medicinam allaturum esse ostenderit, nunc universis unum remedium paratum habet, quod tamen non statim initio aut post enumerationem, sed loco minus idoneo profert. — *ut desperent* Similiter or. I in Rull. c. 9. *primum me consule id sperare desistat.* — *Primum omnium* etsi scio nonnunquam adhiberi, ubi simplex *primum* sufficeret, ut scilicet antiquae gravitatis species orationi concilietur, tamen h. l. parum accommodatum est, siquidem unum *deinde* ad hoc refertur. Gravius etiam offendit hiatus sententiae in his verbis, ut plura sunt male coagmentata in hac parte. Lenius, credo, procederet oratio, si *nam* ante *primum* insereretur. Ut nunc est, secundum quoque accusativum cum infinitivo cum *desperent* coniungere possis. — *deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea militum copias.* Hic primum miramur, cur senatus et equestris ordinis, duorum maximorum reipublicae firmamentorum, mentio nulla facta sit, qua Cicero in simili sententia nunquam omittit, praesertim quum se haec praesidia reip. constituisse glorietur. Deinde vehementer percutimur incomposito et rudi sermone, quum maxima multitudo et magnae militum copiae in bonis viris esse dicuntur. Quid enim aliud recta interpretatione ex his verbis elici potest? Constructionis quidem ratio ista coniungere cogit. Ac duritiem huius loci iampridem notavit Ernestius, qui idem intellexit, eum, non levi remedio ad sanitatem perduci posse. Hoc mihi videor videre, declamationis huius auctorem, quisquis ille fuit, nudum *esse* in *maxima multitudine* repeti voluisse, et item in magnis militum copiis. Quod

quum ita sit inconcinnum, ut nihil supra fieri possit, tamen in frigidissimam sententiam exit. Quid enim, si maxima illa multitudo, quam Romae fuisse constat, cum Catilina conspirabat? Si autem cum Ernestio *eorum* post *multitudinem* tacite supplebimus, nihilo minus asperitatis crimen in verbis, infantiae in auctore haerebit. — Paulo post abrupti aliquid sentimus in *Quodsi.* — Mox *in sanguine civium consulem esse* quam eleganter dicatur, nescio; sed *quae* video ambiguum esse quo pertineat, nam aeque bene ad caedem et ad dictaturas retuleris, ex quo reprehensione digna obscuritas nascitur. Jam vero ipsa sententia huius verborum comprehensionis quam est inanis et absurda! Maximo illi furore concupiscunt potestates, imperia, dominationem. Ne dubita. Ipse dixit supra, dominationem eos exspectare, rerum potiri velle, honoribus inhiare. Haec si adepti sint, inquit, num sperant se consules aut dictatores aut reges futuros esse? quod perinde est ac si dicat: num sperant se haec adipisci posse, quae adepti sint? — Intelligo, quid velit; sed, quae est hominis fatuitas, semper aliud dicit ac sentit. Scilicet cogitabat, illis videndum esse, ne imperium iam adeptum tueri ac diu retinere non possint. At quam incommode hoc pronunciatum est! ne quid dicam de multis dictatoribus et regibus, quoniam omnia excutere non placet.

Tum procedit ad tertium genus Catilinariorum, quo comprehenduntur Sullani milites et qui se cum his coniunxerant. In hac parte singula singulis ita videntur annexa esse, ut quidque non sine magno labore inventum erat. Nam neque sententiae satis apte iuncturis continuantur, et pingui Minerva eadem aut similia verba identidem nobis obtruduntur. *Hi sunt homines ex iis coloniis, quas — quas; sed tamen hi sunt coloni, qui — Hi dum aedificant — Qui etiam — Quos ego.* Vides ut iste omnia pronominibus coniungat. Neque vero haec magnis intervallis inter se distantia nunc a me criminose in unum locum congeruntur, sed nulla, nulla, inquam, omnino in medio sententia est, quae non ab alterutro pronomine ordiatur. Quod quam turpe sit et odiosum, nihil attinet dicere. — Ac primum illud *Hi sunt homines* iam paulo durius ad *genus* re-

fertur; multo vero intolerabilior est inficeta repetitio in verbis *Sed tamen hi sunt coloni.* Pergit: *qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque iactarunt*, ubi levius est, quod Ernestius reprehendit, si modo recte reprehendit; certe *in* ante *insperatis* non erat contra veterum librorum auctoritatem recipiendum. Magis me movet *tamquam beati*, in quo beati sunt locupletes, pecuniosi, praeter vulgarem modum divites. Nam etsi pervulgatum est beatos isto modo dicere, tamen quum haec non propria sit eius vocabuli potestas, sed adscita et quasi precario admissa, ea non videtur in comparatione locum habere posse. Pro *praediis, lecticis* Muretus e libro quodam vetere callidius *praediis lectis* reponebat, quod Graevius iure aspernatur. Quis enim unquam *praedia lecta* dixit? Sed offendebatur ille, ut opinor, inaequalitate incisorum, sane notanda et a Ciceronis more abhorrente. *Lecticae* quam commode medium locum inter *praedia* et *familias* obtineant, non dixerim, et pro *apparatis* epulis, ubi adiectivum prope otiosum est, *apparatissimis* mallem. Sed haec sunt levioris momenti. Illos vero connexio sententiarum, quum *Qui etiam — impulerunt* dicitur, prorsus et inepta et languida est; languidius etiam et ineptius *Quos utrosque*, non illud ad eos tantum, de quibus proxima dictum est, sed etiam ad remotiores colonos referendum. — Verum de his, quae ad dictionem pertinent, pro suo quisque sensu et gustu iudicabit; neque ego mirabor, si quaedam, quae mihi languida, inepta, et vilia videntur, nonnullis accommodate, graviter et eleganter dici videbuntur. Qui tamen, si semel alio genere argumentorum victi pristinam opinionem de huius orationis auctore ex animo dimiserint, neque iam magni nominis auctoritate et inveteratae opinionis vi constricti tenebuntur, de virtutibus quoque et vitiis eius fortasse aliter existimabunt. Ex his igitur quaesiverim, num sani hominis, nedum summi oratoris esse videatur, eosdem et optimos fortissimosque viros dicere, et paucis interiectis in praedatorum direptorumque numero ponere. Alibi multa accusatorie dicere et variis modis quamvis verum crimen diluere licet; hic nullum effugium video, nisi quis meridie lucere negare velit. Nihil enim est in hoc loco, quo

vis verborum illorum deminuatur, sed initio Sullani plane ex animi sententia laudantur, paulo post prorsus cum vilissimis hominibus abiiciuntur. — Tum huic generi hominum eandem admonitionem adhibet, quam ceteris omnibus, sed aliquo additamento temperatam, ut repetitio minus animadvertatur. In extremo autem capite nono non est calumniandum. Nam Cicero simillime ad Att. I, 16 *quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciant.* cf. ad Att. II, 13. de lege agr. II, 4.

Cap. 10. *Quartum genus est sane varium et mistum et turbulentum.* Primum *varium.* Si hoc verum est, cur diversa genera confunduntur, quum hoc ipsum auctori propositum sit, ut disparia discernat? Sed nullam video varietatem; omnes sunt inter se similes, ut quidem describuntur. — *Mistum.* Nihilo magis video. — *Turbulentum.* Hoc vero in homines ipsos conveniens nullo modo cum ceteris epithetis consociari debebat. Turbulentus enim homo est seditiosus, ad turbas movendas proclivis; genus turbulentum est hominum turbulentorum, furiosorum, facinorosorum; id quod nihil facit ad naturam partitionis declarandam, sive, ut hodie loquimur, ad materiam pertinet, non ad formam rei dictae, quemadmodum *varius* et *mistus.* — *qui iampridem premuntur.* Pronomen h. l. etiam durius, quam in tertio genere *hi* adiungitur. Scilicet ne saepius eodem modo loqueretur, quum supra dixisset *Unum genus est eorum, qui,* et item *Alterum genus est eorum, qui,* variandi excogitavit. *Iamdudum* vero accommodatius esset, quam *iam pridem,* quod in rebus omnino praeteritis dici solet, quam alterum illud in re etiamnunc durante, vel tum, quum id, de quo sermo est, agebatur, permanente recte ponatur. Aere autem alieno secundi quoque generis homines iamdudum premebantur, ita ut nunquam emersuri viderentur. Quod si negaveris et solvere illos posse dixeris, eo minus erit discrimen inter primum genus et secundum. — *qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim sumptibus in vetere aere alieno vacillant.* Si quis animo minus ad rem attento haec legit, fortasse in animum inducit, hanc esse illam varietatem, quam paulo ante frustra quaerebamus. Nam

par.

partim — *partim* proprie adhibetur in veris distributionibus, quum aliis alia assignantur, non sic, ut hodie non pauci ceterum doctissimi viri loquuntur, qui vernaculae linguae consuetudine decepti non verentur dicere *Non feci, partim quia nolui, partim quia non potui*, et id genus alia, quae prorsus abhorrent ab usu Latini sermonis. Sed idem re diligentius pensitata nihil ad modum interesse videbit, quandoquidem iidem plerumque et inertia sua, et imperitia, et luxuria rem familiarem disperdunt. Quamobrem etsi *partim* h. l. recte usurpatum esse minimi negare volo, tamen omnis illa diversitas, quae videbatur esse, cito evanescit. — *Hosce ego non tam milites acres, quam inficiatores lentos esse arbitror.* Languorem huius sententiae iam alii senserunt, ut Holzapfelius, qui peculiarem editionem huius orationis paravit Oldenb. 1807. Is enim p. 136 se dissimulare non posse fatetur hunc locum sibi non satis placere, et subiicit Heinzium quoque spiritus Tullianos in eo desiderasse. Equidem maxime haereo in *inficiatoribus lentis.* Nam si *lentum nomen* et *lentus debitor* (ein zäher Schuldner) dicitur, qui semper promittit, semper causatur et moras nectit, mox rursus tergiversatur atque in aliud tempus differt, et nunquam dissolvit, quemadmodum lenta vimina facile manu flectuntur quocunque velis, mox omissa celeriter resiliunt et pristinam naturam recipiunt: quo pacto in inficiatorem cadit, ut lentus sit? siquidem inficiator est, qui inficiatur sive negat se debere, quod ab eo postulatur. Aptius hunc compares cum arida virga, quae primo contacta frangitur, quam cum lento vimine. Quid alii iudicent, nescio; mihi sic videtur, neque lentum debitorem inficiari se debere, neque inficiatorem unquam lentum aut mollem esse, sed rigidum potius et asperum. — Nunc videamus, quam medicinam his hominibus afferat, quoniam singulis generibus se medicinam adhibiturum pollicitus est, quod eos sanari et reipublicae placari posse non desperaret. Ita sanabimini, inquid, si perietis. Scitum sane consilium et omnibus, qui medicinam faciunt, diligenter commendandum! Hoc enim uno remedio certissime et celerrime omnia incommoda et mala exstirpabuntur. Nam quod eos ita iubet corruere, si stare non possint, ad irridendos

potius homines miseros videtur pertinere, quam ut alicui parti spes salutis relinquatur, posteaquam edocti sumus, omnes nunquam e malis emergere posse. — At aliam etiam medelam meditatur; quamquam in illa nulli iam alteri locus relinquitur; sed tamen vocula *primum* hoc videtur polliceri, aliud postea consilium prolatum iri. At nihil postea consequitur, quod ad *primum* respondeat, et miseri homines in iusta spe destituti primo contenti esse coguntur. Hanc rem interpretes honestiore vocabulo ἀνακόλουθίαν nominant, quasi eiusmodi appellationibus efficiatur, ut manifesta vitia in virtutes orationis convertantur. Atqui hoc loco *primum* nullam habet excusationem, neque dissimilibus veterum scriptorum locis defendi potest, in quibus aliquam ob causam idoneam aut coepta plane omittuntur, aut institutus sermo paulum detortus dissimiliter finitur. Praeterea observandum est inanem esse ipsam per se hanc sententiam: *Si stare non possunt, corruant.* Nam sane qui stare non potest, concidet. De usu verbi *stare* cf. Ern. Clav. Cic. s. v.

Quintum genus ita paucis absolvitur, ut iustae proportionis partium nulla prorsus ratio habita esse videatur. Et tamen hoc genus vel maxime intentam curam et sapiens consilium diligentis reipublicae administratoris requirebat, quoniam, si ab ullis, a facinorosis profecto hominibus plurimum civitati timendum erat. Hoc autem genus *omnes* facinorosus complectitur, ut ipse ait. Quid vero? Nulline sunt audaces et ad facinora promti in ceteris generibus? Nunc eos, qui omnia perturbare urbemque incendere et caede implere mente nefaria ac scelerata concupierant (v. supra), aut eos, qui praesenti statu civitatis everso ipsi dominari et regnare volebant (v. supra), aut eos, qui sicas vibrare et spargere venena didicerant (v. infra) alienos a malis facinoribus fuisse existimabimus? Ne praedatores quidem ac direptoros tertii generis, aut turbulentos homines, si qui erant in quarto genere, omnino a talibus consiliis abhorruisse credibile est. Quamquam video nostrum ita temperasse, ut verbis tenus aliquod discrimen relinquere videretur, quod re ipsa nullum erat. — *Quos ego a Ca-*

tilina non revoco. Hi ergo sine consilio et curatione dimittuntur, quod eos sanari posse desperaret, contra quam initio professus est.

